



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

1. Quae sit differentia inter verbum Dei & verbum hominis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

CAPVT XXXII.

ARGVMENTA.

1. *Quæ sit differentia inter verbum Dei & verbum hominis.*
2. *Quomodo maximus cultus & honor sit, quem Deus à nobis exigit, scilicet vt verbo eius credamus, in illo collocemus fiduciam nostram.*
3. *Vt illud faciamus & custodiamus.*

Hæc potissima est differentia verbi Dei & verbi hominis, quia verbū Dei est verū, immò quia impossibile est vt possit esse falsum, verbū autem hominis potest esse falsum. Sic Apostolus ad Rom. 3. Est autem Deus verax id est, impossibile est quòd verbum eius possit esse falsum, omnis autem homo mendax, Psal. 115. scilicet inquantū homo secundum naturā. nam quòd homo aliquando dicit veritatem, vt sancti Dei Apostoli, Euangelistæ, Doctores à Spiritu sancto est. Nam omne verum, à quocunq; dicitur, à Spiritu sancto est, inquit Augustinus. Deus autem natura est summa veritas, & mentiri non potest: idè eius verbum manet æternaliter verum: hoc Prophetæ semper inculcârunt hominibus. Psal. 118. In æternum Domine permanet verbum tuum. Esa. 40. Verbum Domini manet in æternū, omnis autem caro fœnum: Igitur verbum Dei semel dictum manebit, & falsum esse nõ poterit, siue homo credat siue non credat, credentibus autem non nocebit incredulitas aliorum, sicut arguit Apostolus Rom. 3. Quid enim, si quidam illorum non crediderunt? &c. Lucæ 21. verba mea &c.

Quoniam verbum Dei solum hanc habet dignitatem, quòd falsum esse nequit, quia summa veritas Deus est, idè maximus cultus & honor est, quem à nobis exigit Deus, credere scilicet, & fidem dare eius.